medietate occidẽtali, operari debes per nadir gradus significatoris dirigendi, & per nadir gradus planetæ uel stellæ ad quẽ uolueris dirigere, aut per nadir gradus cum quo uterq; ipsorum occidit. Eundem modum dirigẽdi ponit Alkabitius quarta differentia sui introductorij, & addit, quòd si significator dirigendus fuerit in una quarta, & planeta uel stella ad quem uolueris dirigere, fuerit in alia quarta. Primo debes dirigere significatorem dirigẽdũ ad angulum, qui est inter ipsum significatorem & planetam uel stellam ad quem uolueris dirigere: Deinde debes dirigere ab ipso angulo ad ipsum planetam uel stellam ad quẽ uolueris dirigere per ascensiones circuli ipsius anguli. Post hoc prædictas duas directiones simul iunge & habebis directionem quæsitam. Dirigere autem significatorem ad angulum nihil aliud est, quàm inuenire gradus ascensionum, qui erunt inter planetam uel stellam ad quem uolueris dirigere, & ipsum angulum quando ipse planeta uel stella uenerit ad locum significatoris dirigendi. Cum igitur uolueris dirigere significatorem ad angulum, multiplica horas longitudinis significatoris ab angulo per partes horarũ gradus planetæ uel stellæ ad quẽ uolueris dirigere horarum dico diurnarum, si significator dirigendus fuerit super terram. Nocturnarũ uero si fuerit sub terra uel si planeta uel stella ipsa habuerit latitudinẽ, & fuerit ipse significator dirigendus in medietate orientali, operare per gradum cum quo oritur ipse planeta uel stella ad quem dirigis, sed si significator dirigendus fuerit in medietate occidentali, operare per gradum cum quo occidit ipse planeta uel stella. Vel aliter. Scias ascensiones gradus planetæ uel stellæ ad quem uolueris dirigere uel gradus cũ quo uenit ad angulum in circulo regionis, et similiter in circulo directo faciendo principium ab Ariete, & scias differentiam quæ fuerit inter prædictas ascensiones, cuius differentiæ accipe sextam partem, & ipsam multiplica per horas longitudinis significatoris dirigendi ab angulo. Et quod inde prouenerit, adde super gradus ascẽsionum, qui sunt inter significatorem dirigendũ, & angulum

in ascen